

consideratis circumstantiis temporis, loci, Personarum, puta Parentum, Patrinoꝝ &c., qua diligentia moraliter possibili adhibita, si nequeant inveniri, tunc essent omnes, qui fuerunt ab illo Parocho baptizati, vel ab illa obstetrice, sub conditione baptizandi, quia cum ignorentur illi quorum baptismus fuit nullus, nec sit major ratio de uno quam de alio, ad consulendum salutem æternam omnium, omnes sunt

iterum baptizandi, ne si aliquis prætermittatur ille fortassis periret, & alioquin ministrando sacramentum sub conditione non fit injuria Sacramento, quia si primum fuit Validum, hoc secundum sub conditione collatum non est Sacramentum. Plures casus diligenter proponit *Quintanadu. in suis singularibus*, qui si percurrantur diligenter multum proderint ad praxim.

De Electorum Negligentia.

S U M M A R I A.

- 1 Electores debent infra sex menses eligere ad beneficium, alias provisio devolvitur ad superiorem.
- 2 Computatio temporis fit de momento ad momentum.
- 3 Incipit currere à die scientiæ, alias ignorantia non currit tempus.
- 4 Facta electione, si electus non consentiat, vel renuntiet, vel moriatur, electores iterum habent integrum tempus sex mensum ad noviter eligendum.
- 5 Si electores ordinarii negligant eligere, & elapsis sex mensibus superior eligat, quæ electio suum non fortiat effectum, Jus revertitur ad primos ordinarios electores.
- 6 In electione ad Cathedrali inferiores Papa habent tantum menses tres ad eligendum, post quos incurrunt negligentiam.
- 7 Papa tamen tenetur eligere pastores, ne eorum diuturna deficientia oves salutis periculum patiantur.
- 8 Legatus de latere, si habeat facultatem conferendi beneficia devoluta, non tenetur conferre infra sex menses.
- 9 Inferior habet solum tres menses ad eligendum Pastorem, ne Ecclesia diutius viduata lupus Oves disperdat.
- 10 Jure Antiquo si Pontifex non conferebat infra mensem beneficia vacantia in curia, devolvebatur ad ordinarium Collatorem, non sic Jure novo.
- 11 Eadem hora quo vacat beneficium incipit currere tempus, & eadem hora completo cursu finitur.
- 12 Ignorantia vacationis præsumitur ad effectum evitandi negligentiam, non sic præsumitur impedimentum, sed alegantia incumbit onus probandi.
- 13 Si Episcopus aliquo modo fuit in causa, ut electores inferiores non eligerent infra sex menses, provisio non devolvitur ad ipsum in poenam.
- 14 Electores tenentur præsentare habentem qualitates requisitas in cap. cum incunctis de elect.
- 15 Negligentes eligere habentem illas qualitates, quas poenas incurrant.
- 16 Quæ poenæ non habent locum, si negligentia versetur circa alia.
- 17 Defectus Civilitatis, quæ est qualitas requisita, ex indulto Pontificio concessio Ferrariz, non facit innurere poenas negligentia.
- 18 Electores, & Collatores tenentur investigare qualitates ejus, qui eligitur.
- 19 In beneficiis Curatis, eligendus est dignior, quoad forum conscientia, quo vero ad forum externum eligendus est dignus, ne detur locus litibus.
- 20 In ratione dignioris, non consideratur parvus excessus.
- 21 Limitatur in habente liberum Jus præsentandi, aut conferendi.
- 22 Electus, quam primum commodè potest debet certiorari de electione, ut consentiat.
- 23 Neglecta ea certioratione, quæ poena incurritur.
- 24 Quæ pro foro externo præsumitur incurta.
- 25 Negligentia eligentium in eo casu non præjudicat electo.
- 26 Electus ex pluribus capitibus, potest incurrere culpam negligentia.
- 27 Si electus recuset, dum alius non reperiretur Idoneus, peccaret contra Charitatem, & num. 28.

- 29 Electus in Episcopum, si negligat infra tres menses consecrationem suscipere, peccaret.
- 30 Poena negligentis consecrari infra tres menses, est amissio fructuum, si negligat usque ad sex menses privatur ipso Jure Ecclesia.
- 31 Tenetur infra duos menses emittere fidei professionem, alias non facit fructus suos, nu. 32.
- 33 Ad Præturas laicales, etiam eligendi sunt Idonei, & digni, alias eligendo indignum, peccant, & tenentur ad restitutionem.
- 34 Si debentes eligere Imperatorem negligant, & protrahant, & à Papa moniti in negligentia persistant, Papa potest Imperatorem eligere.
- 35 Si Princeps propter nimiam ignaviam, & negligentiam esset deponendus, prius monendus est.
- 36 S. R. E. Cardinales possunt incurrere negligentia culpam, si in electione Romani Pontificis, non servent formam Constitutionis Gregorii XV.
- 37 Negligentes, servare formam datam in cap. Quia propter de electione, qualiter culpentur remissive.
- 38 Ommissa invocatione Spiritus Sancti, electores peccant.
- 39 Qui habent vocem in Capitulo si non vocentur possunt dicere de nullitate, consentientes vero, capitulum sustinetur.

ARTICULUS XV.

De Negligentia Electorum.



Lures sunt effectus, quos parit electorum negligentia; quorum alios hic recensio.

Electores possunt esse negligentes, vel ratione temporis, ut quando non eligunt in tempore sibi à jure concessio ad eligendum, & prefixum in odiu negligentium, *Jordan. p. 2. Elucubr. Var. lib. 10. tit. 12. num. 3.*, vel ratione personæ eligendæ, quia non eligunt, quem eligere debent, vel non habentem qualitates requisitas ad electionem passivam, vel etiam ratione personarum activè eligere debentium, ut quando aliquis de Capitulo non vocatur ad electionem, quierat vocandus, de negligentia igitur contingente in electoribus ex dictis capitibus, est præsens inquitio.

Electores debent eligere infra sex Menses ad beneficia, *c. quia diversitatem, & c. Nulla de concessione præbende, & c. de multa de præbend., Antonell. de tempore legali lib. 3. c. 16. num. 25.*, *Garzias de benefic. p. 10. c. 2. num. 2.*, *Lavor. variar. lucubr. tit. 4. c. 18. num. 12.*; ita ut si infra illud tempus non eligant, incurrant negligentiam, & in poenam negligentia Jus eligendi pro ea vice devolvitur ad proximiorum superiorem, *c. dilecto de supplen. negl. Prælat.*, cui negligentia ignosci non debet, *glos. in c. finali in Verbo currit de elect.*, *per tex. in l. Veluti ff.*

de edendo, & computatio hujus temporis fit de momento in momentum. *Garzias de benefic. p. 10. c. 2. nu. 43.*, nam hoc tempus est datum in odium negligentis, *Francus in c. Statutum de præben. in 6.*, *Garzias dicto c. n. 16.*, *Ottobon. decis. 264. num. 10.*

Intellige tamen data scientia vacationis, nam ignorans vacationem non potest dici negligens, sicque tempus incipit currere à die scientiæ, & non impeditis, *Lavor. de electione canon. c. 18. num. 13.*, idem in cap. *Ne prodefectu de elect.*, statuitur, ut ultra tres menses Cathedralis Ecclesia Prælato non vacet (justo impedimento cessante) & ignorantia non currit tempus, *c. licet de supplen. negl. Prælat.*, *Antonell. de tempore legali lib. 3. de mensibus c. 16. num. 2.*, *constanterq; Rota dixit tempus sex mensum non currere nisi à die scientiæ, quo elector, aut scire potuit, & debuit, decis. 323. num. 1. & 2. recent.*, ubi nu. 2., quod fundans se in hujusmodi negligentia, debet concludenter eam probare, nec sufficit scientia præsumpta ad hunc effectum. *Antonell. de tempore legali lib. 3. c. 16. num. 9.*, quia scientia ad hunc effectum non præsumitur; *Jordan. p. 2. lib. 10. tit. 12., & 25.*

Notabilis tamen est dispositio *tex. in cap. si electio de electione in 6.*, ubi si electio suum non fortiat effectum, ex alio capite, quæ ex negligentia, nullum exinde præjudicium electo.

electoribus generatur; & verba textus sunt sequentia (si electio ex eo non sortitur effectum, quia electus consentire recusat, vel post consensum renuntiat juri suo, aut forte diem claudit extremum, seu propter occultum ejus vitium irritatur, electores qui jam fecerant, quod spectabat ad ipsos infra terminum juris eligendo, habebunt à dissensu, renuntiatione, morte, vel irritatione prædictis, ac si vacatio nova esset, tempus integrum ad electionem aliam celebrandam, dummodo nil fraudulenter egerint in præmissis) quod non solum habet locum in prima, sed etiam ulteriori electione, ut in secunda, tertia, vel quarta, &c., casus similiter contingeret, *glos. ibid. in V. Aliam.*

- 5 Sicuti, & alius casus notandus est, nempe si electores ex negligentia, non eligant in termino sibi concessio, & sic superior jure devoluto eligat, quæ electio ex aliquo, ex prædictis casibus *cap. si electio de elect. in 6.*, suum non sortiatur effectum, tunc electio non ad eundem superiorem, sed ad suos ordinarios electores devolvitur, quia est nova vacatio, ut post *Ancharan. in eod. c. si electio Vers. Quarto not.*, & *Butrium num. 2. & glos. in V. Integrum*, notavit *Sigismundus de elect. dub. xi. num. 3.*, ubi *nu. 4.*, reddit rationem, quia cum privatio facultatis eligendi sit in pœnam negligentiam, hæc pœna respicit solum primam culpam, & unica privatione mulctatur, quia in pœnalibus, quod minus est *reg. in pœnis 19. de reg. Jur. in 6.*, & *reg. Odia 14. eod.*
- 6 Tempus verò sex mensium non habet locum, primò in electione Pastoris Cathedralis, ad cujus electionem conceduntur solum tres Menses, quia Ecclesia Cathedralis ob majus animarum periculum, ultra tres menses vacare non debet, *c. Postquam 50. dist. c. Obeuntibus 63. dist. dicto c. ne pro defectu de elect.*, *Lavor. elucubrat varie tract. de lect. can. tit. 4. c. 18. num. 12.*; excipitur tamen Papa ab hac regula, cui nullus terminus est prefixus. *Franc. c. Statutum de præb. in 6.*, *Lambert. de jure patronatus p. 2. lib. 3. q. 2. art. 8. num. 9.*, *Garzias de Benefic. p. 10. c. 2. num. 12.*, *Massob. praxi habendi concursus requisit. 7. Vers.*, Porro Papæ nullum est præfixum tempus, nulloque limitato termino adstringitur ad conferendum, unde ex hoc capite Papa non potest esse negligens, quia non tenetur eligere infra tempus à Jure determinatum;

Jordan. tom. 2. lib. 10. tit. 12. num. 16., ubi *num. 13.*, quod neque executor Papæ potest incurrere hanc negligentiam, quia jure illius fungitur, & sicuti Papæ nullus est prefixus terminus, ita neque executori; poterit tamen esse negligens ex alio capite, quatenus diutius sine legitima causa differret electionem Episcoporum, & Pastorum, ex quorum deficientia oves salutis periculum aterentur, tenetur enim pro suo munere providere de Pastore viduatis Ecclesiis, iuxta illud, *Pasce oves meas.*

- 8 Non levis est difficultas utrum Cardinali Legato, negligenti conferre Beneficium infra spatium sex mensium currat tempus, ita ut eo tempore elapso nequeat in pœnam suæ negligentiam conferre. *Lapus in clem. si de Beneficio de præb.*, existimavit tempus currere etiam Cardinali Legato, & quia ordinarius collator sit, ordinario autem collatori currit tempus *c. 2. de præb. in 6.*, at melius *Gambara de potestate Legati lib. 3. n. 14.*, & *num. 620.*, & *seqq.*, *Jordan. d. tit. 12. num. 17.*, *Barbof. in Clem. si de Beneficio num. 2. de concess. præb.*, ajunt, negligentiam in Legato non operari hunc effectum, ut nequeat post lapsum sex mensium amplius conferre Beneficium, ratio est, quia Legatus confert Beneficia ad Papam devoluta, non solum ex aliorum negligentia, sed etiam propria, cum autem in devolutis ad Papam tempus conferendi non currat, ita neque currit tempus Legato. *Antonell. de tempore legali lib. 3. c. 16. n. 7.*, & latè *Garzias de benefic. p. 5. c. 3. à num. 21.*, & *seqq.*
- 9 Dixi, quod terminus sex mensium non habet locum in electione Prælati Supremi, & principalis, quo debet eligi infra tres menses, & si infra dictos tres menses electores non eligant, privantur pro ea vice jure eligendi in pœnam negligentiam, *c. ne pro defectu de elect.*, ubi redditur ratio, ne Ecclesia diù viduata pro defectu Pastores lupus rapax invadat oves, aut in facultatibus suis grave dispendium patiat, & electio devolvitur ad proximum Superiorem, qui similiter debet intra tres menses eligere, alioquin fit negligens, *Mantica dec. 260. num. 2. 3.*, *Antonell. dicto c. 16. n. 27.*
- 10 Diximus supra hoc tempus currere tantum à diè scientiam, vel sublatis impedimentis, Cap. quia diversitatem de concessione præbend., verum limita hoc valere tantum, quando

quando devolutio esset in pœnam negligentiam, secus ubi devolutio non esset in pœnam negligentiam, sed favore Ecclesiæ vacantis, quia tunc tempus incipit currere à diè vacationis, & currit etiam ignoranti, ut est casus in *c. Statutum de præb. & dignit.*, ubi dicitur, quod Beneficia Vacantia in curia, si à Pontifice non conferantur infra Mensem à diè dignitates, seu beneficia ipsa vacaverint numerandum, valeant conferri per ordinarium collatorem, & notat ibi *glos. in Vers. Numerandum*, non à tempore scientiam, sed vacationis currere, licet contrarium verius sentiat *Lotber de re benefic. lib. 2. quæst. 27. num. 64.*, & dictum primæ sententiæ, idèd posset habere locum, quia non in odium negligentiam, quæ non cadit in Pontifice, ut supra dictum est, sed in favore Ecclesiarum disponitur devolutio, dies tamen vacationis non computatur in mense, ut notat d. *glos.*, deinde nec tempus currit si beneficia sint non curata, quia est dispar ratio, nec obstat *c. si apostolica 35. de præb. & dignit. in 6.*, ubi quod beneficia Parochialia Vacantia Apostolica Sede Vacante, ne ipsarum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre per eos, ad quos pertinet possint liberè conferri, quia hoc est speciale in beneficiis Curatis favore animarum, quod non debet extendi ad beneficia non curata, *glos. in d. c. si Apostolica 35. Vers. Parochiales de præbend. & dignit. in 6.*, & tangit *Lavor. de electione canonica c. 18. sub num. 13. ad finem*, & *Barbofa in d. c. si Apostolica num. 4.*, notat hujusmodi textus habere solum locum in Beneficiis vacantibus in Curia non autem aliter reservatis. An autem dictum Capitulum supradictum sit abrogatum per extraneam de præb. inter comun., videndus est *Lotber de re benefic. lib. 2. q. 27. à num. 55.*, & *seqq.*, sed prædicta hodie locum non habere, quia supervenit *Bulla Pii V.*, quæ omnia beneficia vacantia tempore sedis Apostolicæ Vacantis reservavit, de qua *Barbofa de potestate Episcopi alleg. 57. num. 35.*

11 Tempus autem, quomodo computetur in prædictis casibus, & ad effectum per lapsum mensium committatur negligentiam, verior sententia est, quod currat de momento ad momentum, itaut si Beneficium vacaverit diè decima Augusti hora x., Mensis compleatur, & finiatur, diè decima

Septembris, eadem hora inchoata, qua cõtigit vacatio, ita ut terminus intrinsicus inceptio sit extrinsecus desitioni, seu fini mensis, & horæ, *Antonell. de tempore legali lib. 3. de Mensibus c. 16. nu. 2.*, post *Garziam de Benefic. p. 10. c. 2.*, *Jordan. elucubrat. divers. tom. 2. lib. 10. tit. 12. nu. 31.*

- 12 Modò insurgit quæstio, an sicut ignorantia vacationis præsumitur ad effectum evitandam negligentiam, ita ut fundans se in negligentia alterius teneatur eam conclusèdè probare, ut dixit *Rota supra allegata decis. 323. num. 2. p. 2. recent.*, ita ad evitandam negligentiam in Electore, præsumatur impedimentum, vel potius è contra allegans impedimentum teneatur illud probare, alioquin negligens præsumatur, & non præsumi, dixit *Rota coram Bubalo impressa apud Garziam de Benefic. p. x. c. 2. num. 24.*, ubi quod allegans impedimentum, & fundans se in eo, debeat illud conclusèdè probare, immò, & adhibitam fuisse omnem diligentiam ad illud tollendum, nec tollere potuisse, *Bartol. in l. quibus diebus, in principio de condit. & demonstrat.*, & nos diximus supra *p. 1. art. 1. num. 4.*, explicando definitionem negligentiam, alioque allegantes, *Antonell. tempore legali lib. 3. c. 16. num. 8. in fine*, *Aymon. conf. 270. sub num. 3. Vers. 3.*, *Afflict. decis. 50. sub num. 4.*, *Decian. conf. 18. num. 92. lib. 1.*, *Gregor. decis. 501. num. 1.*, ita ut impedimentum affectatum non excuset, *Rota in Maioricens. fructuum 29. Aprilis 1616. coram Sacrato, & in Aurien. Parochial. 14. Januarii 1622. coram Navaro, & in Cesareaugustana electionis 11. Decembris 1623. coram Burat.*
- 13 Quæ autem dicta sunt de electorum negligentia circa tempus, quod scilicet elapsis mensibus à Jure præstitutis ad eligendum, eligendi facultas devoluatur ad ordinarium; putà Episcopum, sunt notabiliter limitanda, in casu quo Episcopus artificiosè procurasset electorum negligentiam, ad hoc ut elapso termino, posset ipse jure devoluto conferre, quia in tali casu, ob sui culpam, facultate fraudatur, casus erit, si curravit, aut impedivit ne electores congregarentur, *Innocen. in c. Irrefragabili sub num. 2. de officio ordinarii, per tex. clarum in c. Postulasti in fine de concessione Præbende ibi*, & in hoc casu, cum dolosè impedièdè, dolus ei suffragari non debet, ubi *Barbofa nu. 4.*, *Fe-*

- 4., *Felinus in c. Finali ante num. 4. de testibus, Riccius de Jure personarum extra Ecclesiæ lib. 8. num. 8.*
- 14 Secundo modo, electores possunt esse negligentes in inquirendis qualitatibus Personæ, quam eligere intendunt, ita ut aliquæ qualitates necessariò requirantur de tempore electionis, alioquin electio nulla sit, & sunt qualitates expressæ in *c. cum in cunctis de elect.*, nempe ætas, legitimitas, & vitæ, scientiæ comendabilitas, cujus neglectu sæpè Ecclesiarum pernicietas emanaverit, ut post *Rebuf. clamat Lessus de justitia, & Jure lib. 2. c. 34. dub. 25. num. 125.*, & potissimum hæc inquirendi diligentia commendatur in *Trid. sess. 24. c. 1. de reformat.*, de justia, ac saluberrima electione Prælatorum, ac Cardinalium habenda, in qua materia ad eliminandam omnem negligentiam occasionem, & ut possibilis semper adhibeatur diligentia, emanavit peculiaris instructio circa constituendos processus inquisitionis super qualitatibus eorum, qui promovendi sunt ad regimina Cathedralium, aut aliorum Superiorum Ecclesiarum Jussu Urban. VIII. edita, quæ instructio, & formula legitur apud *Barbosam de univ. Jure Ecclesiastico lib. 1. c. 8. à num. 141.*, & sequ., & prius comendaverat *Trid. sess. 7. c. 1. de reform.*, & *sess. 20. c. 2. de reform.*, & enixè requirit *Greg. XIV. sua constit.*, incipit, *Onus Apostolicæ, sub datum Romæ 11. Maii 1590.*, quæ est *VI. in ordine in bullario novo tom. 2.*
- 15 Ex dicto ergo *c. Cum in cunctis §. Clerici sanè, & §. Episcopus autem*, apertè colligam quænam sit pœna ipso jure inflicta contra electores negligentes inquirere ea tria in Canone posita, & primò est nullitas electionis; secundò devolvitur electio ad alium, cui de jure pro ea vice tantum, & triennalis suspensio ab Ecclesiasticis beneficiis eorum, qui negligentes elegerunt contra formam prædicti capituli, *Cum in cunctis.*
- 16 Quæ pœnæ non extenduntur ad negligentes in aliis, quam in iis tribus qualitatibus inquirendis in *c. Cum in cunctis* expressis, ut notarunt *Jo. Andr. in c. Bonæ 23. num. xi. de elect.*, *Tamburin. de Jure Abbatum tom. 1. disp. 5. q. 8. num. 19.*, *Innocent. in c. Consideravimus in princ. de elect.*, *Garzias de Benefic. p. 7. c. 12. num. 84.*, *Suarez. de censur. d. 24. sect. 2. num. 23.*, *F. Sygismundus de Bononia*

de elect. prælat. dub. 58. num. xi., *Lavor. de elect. tit. 4. c. 15. num. 77.*, & *c. 21. num. 28.*, ubi, quod electio facta contra privilegium, scilicet à negligentibus inquirere, an in electo sint qualitates in privilegio requisitæ, non est ipso jure nulla:

- 17 Juxta quæ cum in facto *Capitulum Ferrariense sub die 29. Decembris 1671.* elegisset ad Mansionariam vacantem per obitum eodem mensè Decembris, in vim immemorabilis consuetudinis Sacerdotem originarium de Massa Lombardorum, qui nec origine, nec privilegio, tunc civis erat Ferrariæ, ac alioquin *Greg. XV. sub datum Romæ 14. Augusti 1621.*, Indulserat Ferrariensibus, ne Beneficia tam curata, quam non curata conferentur aliis, quam ejusdem Civitatis, seu illius Territorii Civibus, atque Sacerdos electus impetrasset privilegium civilitatis post electionem quidem, sed antequam præsentaretur coram Ordinario pro confirmatione, dixi electionem fuisse validam, nec Capitulum posse dici negligens in inquirendis qualitatibus requisitis in eligendo &c., eo quia non erat necesse, ut qualitas civilitatis inesset de tempore electionis ex verbis indulti, tum quia de tempore electionis tantum est in Jure cautum requiri eas tres qualitates, nempe ætatem legitimitatem, & morum, ac Scientiæ comendabilitatem *c. cum in cunctis de electione*, cujus dispositio ad alias qualitates, quam ad ibi expressas non extenditur, sicque non extenditur ad civilitatem, tum quia indultum à Jure communi exorbitans sit restringendum, tum quia loquitur de Beneficiis collativis, nec mentionem facit de electivis; quæ sunt speciali nota digna, nec veniunt sub nomine collationum, provisionum, ac dispositionum, *bon. tex. in c. Cum in illis §. illis verò de præbendis, & dignit.*, ubi *Barbosa post glos. in Vers. Electionem. glos. in c. Statutum in notabilibus de præb. & dign.*, *Gonzal. ad reg. 8.*, *Canzel. glos. 19. num. 4.*, *Garzias ad benefic. p. 1. c. 6. num. 47.*, *Paris consil. 31. num. 4. lib. 4.*, *Menoch. de arbitr. Jud. c. 201. num. 84.*, *Flam. Paris de resign. lib. 10. quæst. 2. num. 35.*, *Felin. in c. In nostra Corolario 31. num. 26. de rescript.*, *Gomez. de annali quæst. 11. num. 3. in fine*, *Caputaque dec. 41. num. 1. p. 3.*, Tum quia indultum hoc non erat in usu, cum plurimæ probarentur collationes factæ Forensibus,

- bus, pro ut simile obiectum resolvit *Rota in Fanen. Parochialis coram Corduba impressa apud Garziam de Benefic. p. 9. c. 2. nu. 213. Vers. quartum oppositum de indulto*, tum quia nullibi constat illud indultum fuisse, aut publicatum, aut sufficienter in foro Episcopali productum ante hujusmodi electionem, tum quia Civitas de anno 1670. supplicaverat Sanctissimum D. N. Clem. X., pro confirmatione hujusmodi indulti, narrando inobservantiam, & Sanctissimus concessit simile indultum tantum pro beneficiis curatis, ex quibus deducebam Sanctissimum abrogasse primum indultum, quo ad Beneficia non curata, sic primo indulto, acceptando hoc secundum, ac utendo, Civitatem renuntiasse, ex quibus Capituli negligentia omnino excludebatur, ac nullitas electionis, & favorabilem executionem reportavi.
- 18 Alioquin tam elector, quam collator debet investigare, & scire conditionem ejus, quem elegit, aut cui confert Beneficium, quo ad qualitates dicti *c. cum in cunctis*, quibus omittis diceretur negligens, *c. Innotuit, & ibi glos. in Vers. Ignorantiæ de electione, ibique Barbosa num. 22.*, *Card. num. 5.*, *Butr. num. 35. 45.*, *Ancharan. num. 5.*, & *8. in 3. opposit.*, *Abbas num. 9.*, & *21.*, *Mantica decis. 158. num. 1.*, & *2.*, *Rota impressa apud Garziam de Benefic. p. 7. c. 1. num. 113.*, *Antonell. de tempore legali lib. 3. c. 16. num. 11.*
- 19 Ex quibus etiam elicitur, ex tertio capite posse electores negligentiam incurrere, si non current eligere dignum, immò in Beneficiis Curatis, & Episcopatibus, si eligant dignum neglecto digniore, *Trid. sess. 24. c. 1. de reform.*, ubi allegati per *Barbos. num. 4.*, & *Trid. eod. sess. c. 18.*, ibi pariter allegati per *Barbos. num. 126.*, quia licet in foro judituario sufficiat eligere dignum, alioquin omnis electio posset importare calumniam, & lites, *D. Thom. 2. 2. q. 65. art. 3. ad tertium*, tamen quo ad forum conscientie tenetur eligere digniorem, idest utiliorem populo *c. constitutis 2.*, & ibi glos. *Vers. magis utile de appell.*, idem *D. Thomas d. art. 2.*, *Diana p. 2. trac. 15. resol. 38.*, & *resol. 40. ad tex. in c. Unico §. circa carnalitatem*, ut Ecclesias beneficia sine diminutione conferantur, & sic bene post plures allegatos, distinguit *Barbos. in c. Constitutis il. 2. nu. 2. de appell.*, & *de potestate Parochi c. 2. num. 97.*, ubi *num. 98.*, *Rota coram Panphilio, & quod dicitur peccare mortaliter, non eligendo digniorem.*
- 20 Limita primò, nisi parvus sit excessus majoris dignitatis in uno, quam in alio, quia levitas excessus excusabit à mortali, *Diana dicta resol. 40.*, & *p. 5. tract. 5. resol. 13.*, vel ubi Beneficium est tenue, *Naldus Vers. Eligere num. 17.*
- 21 Limita secundò, in habente Jus conferendi per collationem liberam, ut Papa, Reges, & similes, ut post *Reginald.*, & alios *Diana dicta resol. 40. Vers. tamen difficultas*, Ita, & in Jure patronatus, *Vivian. de Jure patron. lib. 6. c. 7. num. 59.*
- 22 Quartò modo electores erunt negligentes, si electionem factam, quam citius comode possunt electo non præsentent, atque electi consensum non procurent, *c. Quam sit de electione in 6.*, qualiter autem ardeatur dictio (*quam citius*) licet videretur ad octo dies coarctanda *c. Cupientes §. cæterum de electione in 6.*, ubi *Barbosa n. 10.*, atamen arbitrio boni viri remittitur, ita ut si comode possit etiam ante octavum diem, sit præstanda, ut notat *glos. in dicto c. quam sit in Vers. citius de elect. in 6.*, vel si ob electi distantiam infra octo dies nequeat ei electio præsentari, nisi post illum terminum, remittitur pariter iudicio prudentis.
- 23 Pœna autem huic negligentie imposita est quod negligentes præsentare electionem electo quam citius commodè possunt, à processu prosecutione excluduntur, & per triennium à Beneficiis ipsius Ecclesiæ suspensi sunt, *d. c. Cupientes §. cæterum de elect. in 6.*, *Tamb. de jure Abb. tom. 1. c. 19. num. 146.*, & *147.*
- 24 Quam suspensionem incurrisse electores in foro externo præsumerentur elapsis octo diebus, & non præsentata electione electo, quia ubi terminus est certus, eo elapso incurritur mora, nec impedimentum præsumitur, sed alleganti incumbit onus probandi, nisi sit notorium, resolvit *Marius Alterius de censur. tom. 2. d. 13. c. 3. col. 4.*, & post eum *Barbos. in c. Cupientes num. 10. Vers. notatur ad hoc post medium de elect. in 6.*
- 25 Utrum autem negligentia electorum non præsentantium, quam citius commodè possunt electionem electo, noceat ipsi electo, satis clara est resolutio negativa in *c. Cupientes §. cæterum in fine* (ibi electis super hoc in profe-